



II. Abtheilung: Mittheilungen.

Ephemerides

Rerum in Monasterio Mellicensi et in Austria nostra gestarum a die 31. Julii anni 1741 usque ad annum 1746,

a P. Hieronymo Pez, Bibliothecario Mellicensi conscriptae
et a P. Vincentio Stauffer, ejusdem Bibliothecae Praefecto, editae.

(Continuatio, vide fasc. II. h. ai. pg. 409—424.)

Die 20. Mellicio in Austriam superiorem transiit cum paucissimo comitatu ad exercitum nostrum Magnus Dux Hetruriae, maritus Reginae nostrae. Rursum hac die multa vexilla, Bavaris apud Scharding caesis ablata et adhuc sanguine ipsorum tincta, Mellicio Viennam perducta sunt. Porro narravit mihi D. Magister Postae, ex ore militum Officialium nostrorum se audivisse, Deum, non milites nostros aperte vincere hostes Reginae, cum pro uno hostium decem cadant in proelio. Deo gratias. Item in novis Viennensibus relatum fuit, cives Bavaricos in Ried et Scharding missis ad nostrum Belliducem, Comitem de Kevenhiller, litteris eidem gratias egisse, quod tam benigne et humaniter a nostris militibus habiti fuerint. Narratum quoque mihi fuit, nostris militibus a Regina rigore, etiam sub poena capitis, prohibitum fuisse, ne in Austria superiori et Bavaria hominibus quidquam furentur, aut malum grave inferant.

Die 21. Januarii Mellicio transierunt in Austriam superiorem 12 muli, et 200 equi ad comitatum Magni Ducis Hetruriae, Reginae nostrae conjugis, spectantes, quibus pabulum e Magazinis Austriacis suppeditari debuit. Item dictum, Ducem praedictum a Comite Kevenhiller supremo Campi Mareschallo Lincium fuisse invitatum, forte, ut praesens spectaret Lincensem obsidionem, aut alia de causa. Deus det, ut ejus praesentia non officiat exercitui nostro et Officialibus. 3 etiam legiones

ex exercitu nostro Bohemico destinatae sunt ad Lincensem obsidionem suscipiendam.

16. Januarii apud Willering pons fabricari coepit super Danubium. Eodem die Galli e Lincio conantur nostrum Hauptquartier in Willering ingredi, sed sentientes, se proditos esse et desertos, hinc recepere. Eodem die iidem Galli circiter 2000 egressi ex urbe Lincensi in Klein München pergunt, sed a legione Eugeniana, Portugallensi et Hussaris repelluntur usque ad Pallisaden urbis Lincensis, captis eorum 400 et vulneratis, absque occisis, et 170 equis captis. Hanc victoriam obtinuit Comes de Gros. Eodem ferme tempore Galli rursus per pontem in Gallneukirchen egressi numero 3000 peditum, et una legio equitum; Baro de Elberfeld (commendans in Freystadt) cum suis fortiter restitit hostibus, et duravit ignis hostilis ab hora 6. matutina usque ad 10. ante pomeridianam, hostium, ut dictum est, occubuere mortui ad 600, plures capti et vulnerati, reliqui Lincium redierunt. Capti Officiales hostiles affirmabant, se cogi ad faciendas has irruptiones, ut annonam per pontem, quem studiosissime custodiendam habeant, Lincio importent.

Hostis apud Scharding habuit tres legiones peditum et 6 cohortes Grenadiers, qui plerique occisi, reliqui dispersi, praeda multa facta, arma ab hostibus abjecta, multi capti, inter quos praecipue Comes de Thöring (non ille supremus copiarum Bavaricarum dux), et Comes de Preysing. Haec e novis Viennensibus. Expectatur amplior relatio hujus pugnae notabilis apud Scharding actae 17. Januarii. Baro de Bernklau, qui nostrum exercitum duxit contra Bavaros, cum in noctem durasset proelium, imprudens incidit in hostiles equites desultores, putans se versari inter nostros Hussaros, et cum hostilis tympanista et eques eum jam captivare vellent, ille cum gladio utrumque in facie fortiter percussit, et hoc modo der Schuss aus der Pistollen, den auf ihn der Dragoner thuen wollen, in aerem evasit. Omnes milites, praecipue Officiales et Croatae se praeclare gesserunt. De Menzl fugientem hostem longius insequi in nocte jussus est.

Die 24^{ta} Januarii quidam nobilis Officialis militaris Lincio Mellicium transiens et pergens ad Reginam narravit, praedictam urbem se nostris dedidisse, postquam ejus suburbia multis globis e tormentis et mordariis ejectis vehementer incensa fuere.

De proelio Schardingensi exactiorem relationem novis Viennensibus insertam vide, et paucis haec habe: Ex omnibus copiis Bavaricis, quarum summa circiter 6000, nonnisi 150 Brunovium attigisse, reliquas omnes vel dispersas, vel caesas, vulneratas et captas fuisse. Ex iis Bavaros 406, tum Officiales tum privatos milites vulneratos et captos, numerus autem certus occisorum hostium in novis non est expressus. Bavari e fide novorum Gallicorum aiunt se perdidisse 150, partim occisos partim vulneratos partim captos. E nostris 19 Officiales inferiores et gregarios milites occisos; vulneratos vero tum inferiores Officiales tum privatos 73. Summa occisorum et vulneratorum 96. Ceterum nostris 5 tormenta

bellica et 1 Haubitz cessit cum reliquo commeatu. Item spolia multa et pretiosa, item quae apparatus mensalis argenteus comitis de Thöring, plurima horologia argentea et gladios argenteos consecuti sunt. Rascii nostri occisis et captis hostibus Grenadiriis capas detractas sibi ipsis imposuere, ut viderentur meri esse Grenadierii. E gregariis militibus captis 28 servitia nostra acceperunt. Porro hanc victoriam maxima per Bavariam consternatio subsequuta est.

Die 26. Januarii e nostris subditis Ravelspacensibus duo, qui cum reliquis Austriacis subditis equos suos et foenum in Austriam superiorem convehere iussi sunt, Lincio redeuntes, et in Monasterio divertentes, narrarunt, se fuisse praesentes, quando Lincium a nostris bombardatum sit, dixeruntque, postquam hostes se dedidere, facta capitulatione hostibus permissum fuisse, quorum fere erant 10000, ut ipsi se audisse testati sunt, ut cum signis explicatis, armis curribus coopertis, sicque omni honore e Lincio versus Bavariam egrederentur per pontem, idque affirmarunt hi duo homines se propriis oculis vidisse, me et pluribus aliis e nostris in cubiculo ianitoris claustralis praesentibus et ipsis hujus rei nobis incredibilis narratoribus saepe contradicentibus, qui tamen constanter affirmarunt, se omnia haec suis oculis vidisse. Vera fuisse haec eorum dicta eventus comprobavit. Narrarunt insuper, communem militem hanc hostibus concessam libertatem indigne tulisse, ipsisque dictum fuisse, hostem magnam pecuniae summam in urbe reliquisse. Item, quod mihi plane persuaderi non potuit, Ducem Lotharingiae omnia ista cum hoste pactum et iussisse. Item quod militibus praeceptum fuerit, ut illico in Bavariam pergant. Praeterea se audivisse, hac conditione hostes dimissos, ut triennio integro contra Reginam non militent. Insuper Comitem de Kevenhiller, supremum campi Mareschallum, durante obsidione in Monasterio Hilariensi moratum fuisse. Prudentiores e nostris suspicati sunt, liberum hostibus commeatum concessum in gratiam Regis Galliae, et ut nostrae Reginae fieret amicitior, simul ut parceretur detrimento nostri exercitus, atque ut nutriendo et sustentando tanto hostium numero parceretur. Praedicti homines etiam affirmarunt, se audisse, quod exercitus praesidii Passaviensis e Gallis et Bavaris consistentis inclusus fuerit in capitulatione inita cum Gallis in urbe Lincensi captis.

Die 27. venit quidam Dominus a postae Magistro deductus cum aliis duobus, qui narravit, deditionem urbis Lincensis cum magna indignatione Comitis de Kevenhiller et maxime militum gregariorum factam, quodque omnes hostes permissi sunt urbe cum honore excedere, cum onere non pugnandi contra Reginam nostram intra spatium unius anni, et alia plura, quae tristis audivi. Die 29. quidam Consiliarius bellicus, de exercitu nostro ad Monasterium veniens, eadem narravit P. Priori et P. Ambrosio nostro praesertim de magna indignatione et ira militum nostrorum ob liberam emissionem hostium ex urbe Lincensi. De expugnato Lincio nova Viennensia ad diem 23. Januarii haec habuere: Die 23. Januario sub horam quartam pomeridianam Galli ac Bavari numero fere 10000 post

novem horarum Bombardement in suburbio nach geschlagener chamade se nostris dederunt per capitulationem, unde primum Princeps de Tingri Gallus, et post eum Feld-Marschall Lieutenant Dux Chatel ad nostram supremam Generalitatem exierunt, ad tractandum de conditionibus dietae capitulationis.

In posterioribus novis dictum, quod ad Ducem Lotharingiae exierit ejusque auctoritate facta sit capitulatio his de causis, quod hostes in ea existentes adhuc numerosi essent, et quod ideo urbs non nisi multo igne expugnanda fuisset, qua ratione et urbs et ejus suburbia totalem ruinam experiri debuissent, quas ob causas hostibus liber abitus cum omni honore concessus fuit. Itaque die 24^{ta} hosti permissum super pontem transire usque ad Donawertham in Svevia atque inde ultra Rhenum in Galliam cum hac obligatione, ut intra unius anni spatium nec directe, nec indirecte contra Reginam nostram pugnent. Bavari quoque ultra pontem in Palatinatum superiorem missi sunt cum eadem obligatione, addita etiam hac, ut nostri obsides ex Austria abducti scilicet unus Canonicus Regularis Dirnsteinensis, unus Jesuita Cremsensis et Dr. Holz alique Ingolstadium abducti, una cum nostris desertoribus militibus, tum apud Gallos, tum apud Bavaros, liberi dimittantur. In iisdem novis additum, unam partem nostri exercitus die 26. versus Passavium, aliam versus Braunau in Bavariam abiisse. Item quod Passavium se nostris militibus submiserit et postea das Oberhaus per accord ab hostibus derelictum fuisse. Eadem die 27. Danubio praetervectae naves Hungaricae 3 dictae Tzaiken, plenae militibus Hungaricis vulgo Tzaikistis, laetis et tympanis sonantibus me vidente fuere, quas praecessit magna navis, onusta quoque militibus Croaticis, utpote rubris vestibus vestitis, quos credo fuisse Warasdinenses, etiam pulsato tympano, et vexillis nigro et flavo colore distinctis. Naves illae Tzaiken habebant plura vexilla nigro et flavo colore distincta, item cubiculum in navi, et ex utraque parte remos fere 10, quos trahebant pulchro ordine Tzaikistae, me per tubum opticum spectante.

Die 25. Januarii Regina in sella portatoria gestata interfuit divino officio et hymno Te Deum laudamus in Ecclesia S. Stephani, a praesentibus militibus praesidiariis ter minoribus sclopetis et toties e magnis tormentis in moeniis explosis, in gratiarum actionem recuperati Lincii et superioris Austriae. Lincii vero praesente Duce Lotharingiae et tota generalitate Regia, sollemne Te Deum cum concione habitum fuit 26^{ta} Januarii.

Die 30. venit ad nos postae Magister cum alio Domino redeunte ex urbe Francofordiensi, qui nuntiavit nobis die 24^{ta} Ducem Bavariae electum fuisse in Imperatorem Romanorum.

Die 31. Januarii Magnus Dux Hetruriae transiit Mellicio, Viennam pergens ab exercitu nostro. Eodem die noster P. Jacobus litteras a sua sorore D. Meidlin Lincio scriptas accepit, et paulo post ab ejus marito,

quibus paucis describunt gesta tempore obsidionis urbis Lincensis, item noster P. Sigismundus a sua sorore Josepha itidem Lincensi, in quibus pariter ad vivum depingitur status urbis Lincensis tempore obsidionis ejusque liberationis. Summa earum haec est: Lincium fuisse 3 septimanis interelusum, et interea apud Dynastas aliosque homines jam deficere coepisse carnes panem et cerevisiam. Jussu Comitum de Kevenhiller ob pertinaciam hostium excidium urbis decretum per ignem injectionem uti sine discrimine omnium interfectio, et spoliatio urbis. Verum auctoritate et jussu Ducis Lotharingiae, qui totalem urbis ruinam volebat fieri, rem contra accidisse, quamvis Comite de Kevenhiller ac omnibus militibus vehementer indignantibus. Nam exustis suburbiis permissum hostibus honorifice exire ex urbe, cum conditionibus supra jam memoratis, quas quidem affinis P. Jacobi non refert, sed tantum tum proprium suum per 4995 fl., tum aliorum hominum et domorum damna. Addidit suburbia exusta spoliata et barbarice tractata fuisse a Panduris nempe, ut aliunde constat. Monasterium Carmelitarum plurimum passum est, de quo integrum Diarium scriptum habet P. Jacobus noster.

Die 1. Februarii Mellicio Viennam perexit D. Abbas Cremifanensis, et, fracta una rota, currus ejus morari debuit in oppido pro reparatione, et licet sub horam nonam D. Abbas noster ad Monasterium venerit, tamen D. Abbas Cremifanensis ad nos non ascendit, et in domo parochiali pari ovorum sumpto, cum diceret, se habere hoc die jejunium ob instans festum Purificationis B. V. Mariae, et eadem die Vienna se esse debere, hinc per postam eo discessit; rediens tamen Vienna 6. Februarii, ipsa die carnisprivii i. e. feria tertia Bachanaliorum, ad Monasterium divertit post prandium, Completorio interfuit pie, et altera die Missa celebrata mane discessit. Fertur summae pecuniariae remissionem aliquam obtinuisse a Regina quam ipse petiit ab ea.

6. Februarii, et sequentibus diebus legio Hussarorum Principis de Esterhazi hic transivit in Austriam superiorem et Bavariam. Supremus locum tenens ejusque Adjutant et legionis P. Campestris, Franciscanus, nobiscum in prandio fuere. De his Hussaris quidam, ut fertur, hominibus violenter et vestes et pecunias publice auferebant, quoniam a Regina nostra nullum stipendium habebant, ut mihi praedictus Adjutant, juvenis 20 annorum, retulit. Iidem Hussari in Kendvaldo violenti et immites se habuere erga nostros subditos. Sequentur adhuc plurimi Hussari e comitatibus Hungariae collecti, quorum quidam in Bohemiam, quidam in Bavariam pergunt.

7. Februarii e Comitatu Nitriensi Officialis Hussarorum cum aliis in Monasterio prandebat, visitque Bibliothecam, uti et in Monasterio Gottwicensi. Noster exercitus comitatum Ortenburgicum in Bavaria, Osterhofen aliaque loca intrat, ut e novis Viennensibus constat.

8. Februarii, postridie diei cinerum D. Abbas in Capitulo sermonem habuit, et ad sanctiorem vitam multis nos cohortatus inter cetera dixit,

ut pro publicis calamitatibus avertendis ardentem Deum invocemus, eo quod periculosa tempora instent, et singulariter his verbis Deum interpellemus: Domine salva nos, perimus. Id quod de Duce Bavariae, Rege Borussiae, Gallis et Saxonibus hostibus nostris Austriam fortassis iterum invasuris intellexit. Dux Hussarorum Austriacorum D. Menzl litteras in Bavaria publicavit sua manu signatas, quibus minatur Bavaris incolis et ipsis militibus regularibus, qui se opposuerint armis Reginae nostrae, se eos coacturum, ut alter alteri eorum nares et aures amputet, et postea, ut suspendantur, se jussurum. Hoc iam antea audivi, et postea in novis Gallicis in articulo de Ratisbona relatum fuit. Nostri urbem Braunau in Bavaria occupant, ut habent nova Viennensia, primum ejus praesidium contra nostros egressum, sed postea repulsum, denique fuga elapsum est, pontis aliquot iugeribus post se dejectis. Hac die quoque obiit supremus aulae Caesareae Cancellarius Philippus Comes de Sinzendorf, anno aetatis 71. von einem innerlichen Brand, cui suffectus fuit Comes de Uhlefeld. Hic per vitam et tempus officii sui multis patuit calumniis et invidiae, quod tamen utrumque vicit tempore Reginae nostrae in officio mortuus.

Hic anno 1728 secum duxit fratrem meum P. Bernardum in Franciam, et ego quoque semel cum eo comedi in ejus mensa, cum Nuntio Apostolico Passioneo, Cardinali, filio ejus, et ceteris omnibus prolibus, curante haud dubie filia ejus comitissa vidua, et legi pro eo missam, et alias duas legi curavi. Requiescat in pace.

De redditione arcis Passaviensis, Oberhaus dictae, haec e diario Viennensi excerpserim, nempe audito Lincium captum a nostris die 25. Januarii: dedit hac conditione, ut milites cum impedimentis suis (exceptis tormentis bellicis eorumque apparatu) sinerentur cum honore exire, et usque in Straubing conduci, quod illis etiam concessum est. Nostri pontem super Danubium elegantem a Gallis constructum obtinent. Comes Kevenhiller, supremus Mareschallus, occupato Lincio Passavium cum exercitu et Schardingam pergit, arcem Oberhaus visitat, et quae ad majorem fortificationem loci pertinebant, fieri imperat, a Cardinali Episcopo urbis explosis tormentis honorifice exceptus. Nostri civitatem quoque Burghausen obtinent, et Baro de Bernklau Straubingam pergit ad eam obsidendam. Bavari e Bohemia obtinent 3 regimina equestria, quae conata sunt in Braunau intrare, sed a nostris impedita, partim Straubingam, partim Landshutum se receperunt. Nostri testibus novis Viennensibus in Bavaria Landshutum civitatem occupant, Hussaris nostris iam etiam in viciniam Monachii excurrentibus.

E novis Gallicis Francofordiensibus Comes de Colloredo, Vicecancellarius imperii, resignat officium suum Francofurti in manus Electoris Moguntini, qui ei subrogat Comitem de Königfeld, Bavaricum primum legatum apud electionem novi Imperatoris. Francofurti prodit Responsum ad Manifestum aulae nostrae Viennensis contra Electorem Bavariae, sed quod fere nihil solidi aut novi continet, quam quod in prima deductione dictum fuit, praeterquam quod in responso a nobis dato contra Regem Hispaniae „per tot ehliche Leibserben“ nos voluerimus intelligi masculos

solos, Bavaros vero tum mares tum feminas quoque, et ex varia hac interpretatione harum vocum nos ex mente Bavarici Apologistae in contradictoria incidimus. Ultimo quod tota controversia in eo vertatur, utrum ex aequitate et jure Carolus VI Imperator potuerit talem edere sanctionem pragmaticam. Hoc scriptum Hispaniarum contra Domum Austriacam, et ad illud responsum aulae nostrae necdum legi. Idem nostrum Manifestum latinitate donatum Romae oblatum fuit Summo Pontifici, et aliis status ministris a nostro Ministro Viennensi, Comite de Thum, et postea italice versum Sacro Collegio distributum. Francofurti prostat historia, officia et statuta sodalitiis dicti die Freimaurer, Francs-Maçons gallice, eruta ex eorum archivis et traditionibus antiquissimis, ut volunt. Hoc sodalitium Romae a Clemente XII damnatum, et ejus sectatores excommunicati; extat in cella mea libellus hac de fraternitate breviter tractans.

Ratisbona scriptum 2. Februarii e novis Gallicis, nostros Austriacos magnos facere in Bavaria progressus et Straubingam petiisse sibi dedici cum contributione 100.000 florenorum cum comminatione nullius capitulationis, si minimum restiterit, quodque Straubingenses ipsimet suburbia incenderint, et locus ob defectum militum ac munitionum diu se defendere non potuerit. Interim spargunt Bavari bellum propediem in Austriam reducendum, et exspectari ab illis pro auxiliariis copias 32.000 Gallorum, et insuper Episcopi Herbipolensis, Marchionis de Bareuth et Anspach copias militares in servitium Ducis Bavariae intrasse uti et Rheingravienses unum regimen in ejusdem servitium conscripsisse, et hos omnes paratos esse contra nos. Haga Comitum scriptum 2. Februarii e litteris particularibus e Germania datis innui, curiam nostram Viennensem adhuc sperare opem a veteribus confoederatis suis, ac propterea rejecisse sibi factas propositiones de divisione ditionum Austriacarum, quodque mutatio Monarchiae Russicae videatur eandem spem nostram roborare. Item Regem Portugalliae ex parte suae conjugis sororis nempe Caroli VI Imperatoris etiam facere praetensionem in successione haereditatis Austriacae. Heu! En septimum Regem contra nostram unicam Reginam Mariam Theresiam bellum gerentem.

Die 19^{ma} Februarii Comes Ludovicus de Starenberg, Officialis legionis Kevenhillierianae ab exercitu nostro, et paulo post ipsum postae Magister campestris Mellicium venere Viennam petentes, quorum prior duo vexilla vulgo Standart et 1 Fahn elegantissime texta ab ipsa Ducissa Bavariae, ut dicebatur, attulit secum, hostibus errepta apud Landshutam urbem, ubi et nostri circa 400 milites Bavaricos cepere, reliquis in frusta concisis, quodque postea statim Monachium occuparint, in qua urbe tormenta bellica plurima, ad quatuor miliones valentia, inventa fuerint. Haec noster postae Magister ex ore dicti Comitum et alterius se accepisse nostro P. Camerario, a quo ad conventum relatum fuerit, narravit. Veritas haec in proximis novis Viennensibus confirmata est, additumque, Comitem praedictum cum sex cursoribus sonantibus Viennam ingressum, Pugna cum Bavaris accidit Meinburgi inter Lands-

hutam et Ingolstadium. Bavarorum tria regimina erant, et a nostris totaliter fusa, qua de re, uti de deditione Monachii per capitulationem promissa fuit relatio in proximis novis Viennensibus.

Die 20. e Znoima, urbe Moraviae et aliunde huc Mellicium scriptum est, Abbatem Lucensem seu Pruggensem prope Znoimam ab Ulanis Porussicis 200 fuisse abductum ad Regem Porussiae in Trebitz. Item 200 milites Borussicos Znoimam paulo post occupasse, idque cum omni humanitate, sub specie amicitiae, quasi non essent hostes. Ingens hinc timor apud nos et vicinos Austriacos ortus. Item iussum ab Aula nostra, ut Magazinum Cremsense partim in Mauttern, partim in Tulln propter Porussos transferatur, Magazinum quoque Hippolytanum huc Mellicium translatum fuit, et pars ejus in stabulo Monasterii et horreo nostro collocari jussum. Foemina quoque Znoimensis in Austria Diarium conscripsit a die occupatae a Porussis Znoimae, scilicet a die 14. usque ad 21. Februarii; inde constat ab urbe petitos 30.000 florenos, sed postea tantum a Rege 10.000 exactos. Eodem die 20. Februarii venit ein Trompeter, missus a Regina ad Regem, nihil autem rescitum fuit, quid rei habuerit.

Die 19. rediit Abbas Lucensis domum et cum Rege prandebat. Viennae vero in cathedrali ecclesia institutae preces triduanae, ad quas comparere jussae omnes parochiae, Monasteria, fraternitates etc. ad obtinendam ulteriorem benedictionem a Deo pro ulterioribus felicibus progressibus exercituum regionum, quibus etiam singulis tribus diebus interfuit Regina cum Duce Lotharingiae, marito suo. Dux Palatinus Rheni, amicus Ducis Bavariae et foederatus eidem, 3 regimina equestris, uti et 2800 pedites in auxilium mittit contra nos, cum quo etiam Princeps Sulzbacensis suum regimen Grenadiriorum 1200 coniunxit.

18. Februarii e Neuhaus seu Nova domo in Bohemia scriptum in novis Viennensibus, quod noster exercitus e Budweis et Iglau, quam cum 800 Ulanis Porussi et Saxones ceperunt, fugientibus duobus nostris regiminibus Hussarorum, ut habent nova Gallica, abierit, et sese in unum collegerit contra Saxones et Prussos conjunctos, et in Moravia sese magis magisque extendentes iturus. Interim nostri Hussari 4 Officiales Porussicos cepere.

Die 21. Februarii duo Trompeter a Lobkowitzio missi sunt ad Regem. Rex publice locutus est, Reginae ceteras omnes provincias mansuras, si Bohemiam, Moraviam, et Silesiam cesserit, terminum resolutionis tribuens usque ad Martium medium. Si renuerit Regina, 20.000 milites ituros Viennam eam obsessuros. Interim Regem Znoimae rei eventum expectaturum. E Rötz civitate Austriae scriptum et a me lectum, Prussos in hanc civitatem media prima post mediam noctem die 23. Februarii nuntium simul et jussa misisse, ut singuli civium carnes panem cerevisiam et vinum crematum pro 600 Porussicis militibus parent. Atque hic locus primus in Austria est, quem Porussi invasere. Itidem scriptum in Schöttau

et Gnadlerstorf locis Moraviae 1000 Prussorum esse. Hac ipsa die audiui Znoimam a Porussis relictam, quod fortassis Hussaros nostros, a Lobkowitzio in eam viciniam missos, vidissent. Litterae, quae Prussorum in Rötz adventum nuntiabant scriptae fuere hora secunda noctis ad festum S. Mathiae, et ad nostrum P. Reinerum missae. Praefectum in Rötz aequae ac Abbatem Lucensem, item Priorem et Provisorem Gerasensem abductos propter transactionem muletæ, vulgo der Brandschätzung, Prussi liberos iterum redire permisere. Fama est Abbatem Lucensem 60.000 fl. fuisse taxatum ab hoste. Certum etiam, paulo post Znoimam et Rötzium a Prussis versus Nikolspurg se convertentibus relicta advenientibus iam iam per Zwettl et alia loca vicina nostris militibus sub Principe Lobkowitz.

E novis Viennensibus constat, Reginam urbi Ratisbonensi ejusque districtui parci voluisse, ob quam causam ejus Magistratus gratias amplissimas egit Reginae. Interim Bavari in eam urbem optima quaeque, fructus et pecora securitatis causa convehunt, nam Regina nihil mali urbibus Imperialibus a suis militibus inferri voluit, quam diu ipsae inimicae ipsius non fuerint. Item Wasserburgum, civitas Bavariae, Menzlio nostro se dedit, militia provinciali arma sua et vestimenta militaria deponente et abeunte, inventa rei annonariae et bellicae magna multitudine. Eidem Menzlio redditum est Monachium facta capitulationis ratihabitione. Ex iisdem novis Viennensibus Monachium sese nostris per capitulationem dedidit 14. Februarii, et acta hujus capitulationis pro approbatione Comiti de Kevenhiller in Landshut existenti missa, quae integra inserta postea fuere Viennensibus novis. Inter cetera ubique negata postulata etiam haec sunt, quod artilleria urbis non sit in potestate ipsius, sed Comitis de Kevenhiller. Ceterum prohibitum exercitui nostro, ne quid de pallatiis, curia, hortis aliisque ad ducem Bavariae spectantibus a nostris diripiatur. Militia provincialis ibi existens, arma et vestimenta deposuit, domumque abire permissa. Item in novis Gallicis Monachio scriptis 20. Februarii legitur, nostros a Monacensibus exactionem dimidii millionis florenorum petiisse, qua de re ab ipsis tamen pro novo Imperatori per Comitem de Thöering scriptum est. Item nostris Landshutum 30.000 florenos per modum taxae solvisse, et Ducem Menzlium multa cum politia se gerere. Ita Deus mirabiliter fecit, ut cum Elector Bavariae cum Gallis Viennam occupare voluerit, nunc ejus urbs capitalis absque ulla nostrorum jactura a nostris caperetur. Adde, quam contemptim Galli et Bavari in Monasterio nostro existentes anno priori locuti sint de occupatione et expugnatione urbis Viennensis, quasi illa intra paucos dies potiri possent. Item e novis Viennensibus iisdem et eodem folio legi, quod manus trium regiminum equestrium praeter pedites aliquot prope Meinburg visa a nostris, invasa eversaue fuerit, multis eorum occisis, vulneratis et captis, acceptis etiam duobus standartibus, quorum unum pretiosissimum pertinuit ad cohortem Comitis de Thöring, simul ac equis ac impedimentis. Munitum etiam Castellum Ratzenhofen cum praesidio suo, aliquot centum militibus, se nostris captivos belli dedidere.

Die 26. Februarii litteras accepi a meo nepote Michaele Taschner, coquo apud Excel. Comitem de Kevenhiller, 21. Februarii Landshuto scriptas, quibus inter cetera mihi significavit, quod singulis militibus nostris Bavari quotidie dare teneantur unum florenum, victum, praeterea et quidquid petierint. Bavaros porro dicitare, Straubingae et Ingolstadii sese optime defensuros contra nos esse.

27. Februarii Rex Porussiae cum fratre suo Rōzium venit, et in arce prandet, indeque Znoimam revertitur.

Die 25. Februarii Regina cum conjugē suo invisit Ecclesiam Metropolitanam S. Stephani ibique Te Deum laudamus celebrari voluit ob captum Monachium, explosis quoque tum minoribus sclopetis, tum grandibus in moeniis tormentis.

28. Februarii noster D. Abbas inopinato Mellicium venit ob irruptionem Prussicam in Austriam trans Danubianam, quaedam hic ordinaturus aut in locum tutum collocaturus. Eodem die huc perscriptum, Porussos 24. Februarii etiam in Haugstorf intrasse, et apud duos confratres nostros expositos, Coelestinum et Chrysostomum, prandisse, dictum quoque, eosdem Prussos in Wullerstorf altera die venturos, similiter exactiones pecuniarum, frumentum, avenam etc. petentes, sed P. Ernestus tantum a Prussis citatus fuit in Haugstorf et solutis 500 fl. rediit domum. Interim verum est, equos a nostris parochis ad monasterium missos majoris securitatis causa. Viennae edictum Regium publicatum, quo incolae utriusque Austriae, qui variis privilegiis et exemptionibus olim a Principibus Austriacis concessis, gaudent, eadem in Originali Cancellariae aulicae privatae exhibere iubentur, ut eadem pro ratione justitiae et boni publici immutentur, qui non exhibuerint, ipso facto amittant privilegia praedicta. Annuntiatum primo fuit in novis publicis hoc decretum, 28. Februarii 1742, sed iam anno praecedenti conditum 14. Decembris.

Prima Martii in exitu pomeridiano nobis, me quoque praesente et alloquente, obviarunt tres fortes iuvenes, ex Pulkau venientes, et inde se fuga ob Prussos illuc quoque irrupturos proripuisse, et paulo post currus cum matre et ejus prolibus ac patre nobis obviam venere e Cremsio, eadem de causa fugientes. Praedicti iuvenes dixere, a Prussis meliores ac robustiores iuvenes undique conquiri et in Marchiam Brandenburgicam abduci. Praedictus Rex iubet a vicinis 1000 maximas arbores e sylvā Kevenhilleriana Rōtzium adduci, volens hunc locum munire, et forte etiam castra metari. Abiens ex arce secum abduxit argenteo-cupream supellectilem lecti, einen Wurstwagen et 3 equos. Ulani, aliique milites Prussici Egenburgam (unde loci parochum, consulem et syndicum abduxere et in arcem loci ad Jesuitas spectantem 26 milites imposuere, donec petita ab iis contributio solvatur) occupant. Ingens ex altera parte Danubii hominum consternatio et fuga nobilium ac mercatorum. Cremsii ac Steinii ingens ardor per Danubium ad nostram ripam transeundi ita, ut saepe 3 vel quatuor horae expectandae sint, dum trajectus concedatur. Haec

Praepositus Tirnsteinensis D. Rectori in Anspach, uti et P. Prior in Langegg nuntiaverunt, a quo noster P. Reinerus hoc accepit. Heu! Domine Heu! miserere Austriae nostrae. Nemo resistit Prussis, neque de eorum irruptione quidquam nova Viennensia retulerunt hucusque, neque noster exercitus e Bavaria ad nos iuvandos descendit. Nihil auditur de nostro exercitu in Bohemia, qui inde movit iturus contra Prussos et Saxones, uti e novis Viennensibus relatum est. Post prandium iterum D. Abbas noster Viennam abiit. E novis Viennensibus: In Bohemia 90 Hussari 400 Prussos invadunt, et ex eis 15 occiderunt, 49 cepere, 375 onustos frumento et vino iisdem abstulerunt, et adhuc huiusmodi plaustra 200 inclusa tenent, quare illis in succursum adhuc 100 Hussari missi fuere.

Die 4. Martii 8 vel 9 magnae naves militibus numero 700 nostris peditibus onustae in Danubio praetervertae fuerunt, iturae contra Prussos. Item noster D. Abbas ad Monasterium scripsit nostro P. Camerario, Viennam ita bene esse provisam, omnemque Austriam cis Danubianam, ut non habeat, quod ab hostibus timeat. Deus det.

5. Martii Magazinum Mellicii tum in oppido tum in Monasterio asservatum inde abductum est in Mauthausen, et hinc in Budweis Bavariae pro exercitu nostro. Multae item naves per Danubium ascenderunt, onustae farina, avena, vino aliisque rebus. E novis Viennensibus: die 27. Februarii Comes de Kevenhiller Monachium ingressus est, postquam ante ipsum iam aliae aliaeque copiae nostrorum militum illud occupassent, illic dies aliquot moraturus. Ceterum noster exercitus pace hactenus perfruitus est in Bavaria, sed allato nuntio, quod 20.000 Gallorum, et 10.000 militum tum Coloniensium, tum Palatinorum, versus Bavariam perecturi dicebantur, nostris rursus pax turbabitur et negotium non exiguum facessetur. Comes Palfi in Bavaria hostes incessit haud procul Ingolstadio; et in conspectu eorum pontem quemdam exurit; Neuhaus e Bohemia: Nostri Ulanorum plus quam 300 trucidant, et quosdam capiunt. Viennae rursus arma multa fabricantur, et aliquot millia framearum inde in Hungariam missa. Hungarorum aliquot millia in Austriam trans Danubianam versus Prussos agunt, eorumque motus ubique observant.

8. Martii Amalia, Ducessa Bavariae, coronatur in Imperatricem Francofurti ab Electore Coloniensi, ejus affine, praesentibus quoque Abbatibus Fuldensi et Campidonensi.

9. Martii sub horam decimam vespertinam obiit P. Antonius, confrater noster, septuagenario major, olim interioris et exterioris culinae Praefectus, demum parochus in Getsdorf, indeque ob tremorem manuum in Monasterium revocatus. Pius vir et humilis. Eodem die ad Monasterium nostrum venit P. Philibertus, noster vicarius in Wullerstorf, qui ob Prussorum in Austriam irruptionem Viennam fugit, substituto pro se Capucino, qui et narravit, P. Ernestum in Wullerstorf, et P. Coelestinum nostrum Parochum in Haugstorf a Prussis simul 1000 florenis taxatos,

nullo petito frumento. Quare falsum est, primum violenter abductum ab hostibus. Die 14. Martii iterum jussus est abire Wullerstorffium P. Philibertus a D. Abbate, cum hostis ab illis partibus iterum recesserit. E novis Viennensibus: Dom. de Stenz, Generalis Campi Mareschalli locum tenens, jussu Comitis de Kevenhiller e Tyroli cum 4000 militibus Bavariam absque multa resistantia intravit. Hussari nostri Duce Menzlio ad Lechum fluvium usque excurrunt. Quidam Viennensis hos versus elegantes composuit in laudem victoriae a Kevenhillero in Austria superiori et Bavaria reportatae:

Una die Onasum, Lincenses hebdomada una,
Una domat Bavaros luna, quid annus erit.

Item Chronographicum hoc:

VenI, VIDI VICI BaVaros et GaLLos
RegnIs terrIsqVe AVstrIae InsIDIantes.

12. Martii. Prussis Austriam trans Danubianam ingressis, omnibus navarchis fuit prohibitum, ne naves majores in altera ripa Danubii retinerent, sed omnes ad nostrum litus ducerentur, idque ad impediendos Prussos, ne ad hanc partem Danubii ad nos transirent. E novis Gallicis Vienna scriptum: urbem undique muniri et provideri, quasi instaret periculum obsessionis, item Bavaros Lincio dimissos in Palatinatum Rheni ituros, et locum Palatinorum militum suppleturos. Galliae vero Regem unum exercitum prope Dunkerkam 25 vel 30.000 militum et prope Valencaenas 18.000 habituros. Item Londini filium Regis Angliae Principem de Walis cum patre tandem reconciliatum. Item ex iisdem novis Gallis Francofurto: diem coronationis Imperatricis de die in diem dilatatum. Novum Imperatorem, ejus maritum, graviter aegrotantem rursus convaluisse et publicae mensae assedissee. Item Vienna: circumferri listam exercitus Hungarici, qui 22666 peditibus, equitibus Hungaricis 16000, Sclavonibus 8000, Croatis 5000, universim 56666 militum constaret, non comparata militia provinciali. Item incolae civitatis Hoff e regione Ratisbonae a nostris taxati fuere 12.000 fl., et quod Galli Lincio dimissi successive Donawerdam, uti pactum fuit, se conferant. Nostri rursus reddi sibi petierunt Straubingam, eo cum magna Artilleria appropinquantes, minantesque, nulli civi aut venatori seu iaculatori vulgo Schützen, se veniam daturus, si nostris repugnaverint, solis militibus relicta se defendendi libertate. Fama fuit, quosdam e Gallis Lincio dimissis mutata veste se in Straubingam injecisse. In Martio multi nostri milites e Bohemia venientes per Cremsium versus Moraviam contra Prussos et Saxones perexere, eo quod ex Budweis et Neuhaus eo transitum securum non habuerint. Ex eadem Bohemia permulti milites in Austriam venientes traducti sunt in Hollenburg prope Gotewik ut ibi persanentur, similiter in Gresten oppidum, ut de hoc postremo loco duo milites e legione Badiana desultorii, qui illos infirmos illum conduxere, mihi et aliis nostris confratribus 28. Martii retulere.

Die 30. Martii, utpote die Veneris post festum Paschae in prandio nullum omnino piscem praeter salpam habuimus, praesente in mensa

ipso D. Abbate, atque ita solum jusculum, dictum salpam, olus et cibum farinaceum, quod non scio factum ab annis 40, ex quo sum in Monasterio per gratiam Dei. Narravit mihi D. Abbas, apud quem ipsa hac die ante prandium fui, piscatorem Bohemum, apud quem constituti fuere carpiones et lucii de more a nostro P. Leopoldo tunc Oecono, et piscibus, quos Mellicium convehere parabat, et equis, partim ab hostibus, partim etiam a nostris militibus, fuisse spoliatum, ut ipsum mercatorem scripsisse P. Leopoldo mihi dixit D. Abbas, cum hoc addito: hodie nos habebimus jejunium, quod primum capiebam, cum ad prandium veni, postera tamen die bonum piscem scilicet Hurchen habuimus. In Martio nostri Kelham in Bavaria, aliaque vicina loca capta multa provisione, et 25^{ta} pulso usque Ingolstadium Comite de Thoering, occupant. Item dux de Menzl usque in Sueviam excurrit, et prope Nördlingam magnam vim annonae et Magazinum hostile depraedatus est. In Lauingen primas copias Gallicas cum 500 suorum invadit, occisis fere 30 hostium, nemine autem suorum, et superatus multitudinem hostium Fridbergam prope Augustam se recipit feliciter. Supradicto 30. Martio mihi D. Abbas noster narravit nostros subditos in Aigen tributa solita et gabellas dare recusasse hoc anno, quod causati sint, se multum foeni et avenae hostibus et nostris militibus dare debuisse; hos autem adhuc semel serio moneri voluit D. Abbas ad praestanda dicta tributa, alias per militarem executionem extorquenda. E novis Viennensibus: Nostri, Duce supremo Comite de Traun in Ducatum Bononiensem pergunt, Hispanos et Neapolitanos aggressuri. Item Parma et Placentia a nostris militibus contra hostes adventuros munitur, et providetur. Milites quoque Pedemontani, et Subditi Regis Sardiniae cum nostris se jungunt.

Die 27. Martii Prussi et Saxones conjunctim ante Brunam Moraviae urbem castra ponunt, contra quos Princeps Lobkowitz cum magno exercitu pergit ex Neuhaus Bohemiae. Item 23. Martii a Brunensi Commendante Barone de Seher emissi Hussari e Bruna 3 cohortes Saxonicas caedunt et ex iis unum supremum locum tenentem, 3 capitaneos, 4 locum tenentes, 2 signiferos et 126 Unterofficiers, et gregarios milites capiunt, reliqui omnes occisi.

Die 4^{ta} Aprilis hic Danubio transit navis cum militibus nostris, qui totum Reichs Vicariats Archiv et ipsius Ducis Bavariae a nostris captum Viennam deduxerunt, ejus navis Officiales in Monasterio pranderunt, et hoc ipsum nostris religiosis narraverunt. Iidem dixere, cras, i. e. 5. Aprilis a nostris Straubingam oppugnandam, et quod praesidium Kelhamense a nostris dimissum volens intrare Ingolstadium a Gallis id obtinentibus intrare non fuerit permissum, sed foris sub tormentis mansitare debuerit.

E novis Gallicis Monachio haec relata sunt: Non facile exprimi potest barbaricus agendi modus, quae nos (Bavari scilicet) ab Austriacis sustinemus; nullam conditionem, qua cum illis conventum est, observantibus. Supra quotidianas exactiones alias enormes faciunt, quae si non solvuntur,

per vim exsequuntur militarem. Caedunt et incendunt passim, nec locis sacris aut privilegiatis parcunt. Non nisi numerus valde parvus militum regularium illis est, quibus se adjungunt maxima parte Banditi, praedones, ac fures spe praedandi et furandi. Denique Austriaci direptiones tantum pro lege bellica habent. Hoc Bavari conquesti sunt adversus nostros milites. In sequentibus novis Gallicis, Hanovera scriptis, dictum est, Reginam nostram jussisse Comitem de Kevenhiller, ut subditos Ducis Bavariae et aliorum inimicorum suorum humanius tractet. Ex iisdem novis Vienna scriptum: Aula Viennensis assecurat, foedus initum fuisse inter Reginam nostram, Angliam, Hollandiam, et quod Rex Sardiniae eidem foederi accesserit pro defendenda Italia contra Hispanos et Gallos sub certis privatis commodis, eumque in finem 20.000 militum curaverit in campum egredi, et se nostris iunxerit. Item nostra aula grandem summam pecuniariam in subsidium ab Anglis et Hollandis accepit. Francofurti scriptum, Gallos duce de Harcours suppetias ferre novo Imperatori in Bavariam ituras, et quod varii circuli imperii videantur succurrere velle eidem Imperatori, inter quos etiam Franconicus dicitur esse. Verum postea in novis Viennensibus dictum, circulos Suevicum et Franconicum se neutrales declarasse. Ex iisdem novis Gallicis nuntiatum: in Lotharingia milites provinciales ad 15.000 cogi, uti et in omnibus provinciis Gallicis ejusdem conditionis milites. Item ducem Holsatiae, qui evocatus ab Imperatrice Rusciae Petropolim fuit, et ad eam venit, a Moschis pro ejus successore in imperio agnitum fuisse, et quod Sueci propterea loco illius fratrem Regis sui, scilicet Landgravium Hess-Casseliae seu Hessenkassel pro successore Regis ejusdem nominaverint, cum alias post obitum Reginae dictum Ducem Holsatiae in suum Regem elegissent. Interim bellum inter Suecum et Moschos paratur. Wratislavia scriptum, Hungaros in Principatum Tischensem superioris Silesiae intrasse contra Prussos. Prussi contra, uti Vienna scriptum, in dynastiam Holitschensem in Hungaria sitam ad Ducem Lotharingiae pertinentem intrasse dicuntur, et inde movisse versus Schaliz. Hussari Borussi, uti relatam Wratislavia, litteras a Regina Brunam missas intercipiunt. Ratisbona scriptum: Baro de Bernklau per pontem Dekendorfensem cum 5000 militum intrat in Stadt am Hof et magnas contributiones ab ea exigit, pergens in Kelham et eam occupat relictam ab hostibus, magna ibi rei bellicae copia, panibus, avena, foeno, nitrio pulvere et tormentis bellicis vulgo Doppelhacken ibidem repertis, infirmis militibus Bavaris misere fuga pereuntibus. Haec e novis Viennensibus, quae etiam nuntiarunt, a nostris Hussaris prope Brunam 700 partim caesos, vulneratos et captos Brunam adductos fuisse. E novis Viennensibus: Hispani per terras Papales et Thusciam in Lombardiam pergunt, quibus obviant nostri Duce Traunio, et Regis Sardiniae copiae Parmam ac Placentiam, in favorem nostrae Reginae, cum qua Rex ille foedus iniit, intrant. Ferunt Hispanos inaudito exemplo deserere ita, ut simul et semel 87 Officiales ab iis defecerint et 7000 militum eorundem Hispanicorum. Warasdinenses a Regina et rubris palliis ac novis excussis Siebzehnern donati in Moraviam pergunt contra Prussos

et Saxones. Magna pars nostri exercitus, duce Carolo Principe Lotharingiae, e Neuhaus ad confines Moraviae tendit, relicta reliqua in Budweis sub Principe Lobkowitzio. Postquam Prussi et Saxones Austriae fines reliquerunt, in Moravia bellum prosequuntur, multaque loca diripiunt et incendunt, a nostris Hussaris continuo infestati, et lacessiti. Visa est in Martio in Austria Hollandia, Saxonia aliisque regionibus Germaniae stella magna cum cauda; Astronomi tamen eam curiose explorantes pro certo asserere noluerunt, eam fuisse cometam.

Die 10. Aprilis obiit Viennae Amalia Imperatrix, vidua Josephi I Imperatoris, fundatrix monialium, vulgo Salesianarum, in suburbio Viennensi, in ecclesia harum monialium sepulta. Anno 1739 in Monasterio nostro egit cum Duce Bavariae Carolo genero suo, suaque filia Amalia et prolibus ejus. Huic ego quoque in Bibliotheca multa de libris praesertim de Jacoba de Blemier locutus sum, mihique totius Imperatricis prudentia, gravitas, comitas et pietas multum placuere. E novis Viennensibus: A nostris Hussaris in Moravia iterum multos Prussos et Saxones captos et caesos fuisse, itemque Regem Porussiae in adventu nostri exercitus et Hungarorum plurimis locis relictis versus Olomucium se recepisse, et Saxones versus montana. Item a nostris aditum et exploratum a foris Ingolstadium et circumdatum esse.

Die 15. Aprilis permultae rates, sclopetis plurimis et Doppelhacken, et uno tormento bellico onustae, Danubio hic transierunt, Bavaris ereptis. Eodem die captivi Galli per oppidum ducuntur. Nostri in Moravia loco, Austerlitz dicto, 2000 Prussorum includere, eosque inde fugientes maximam partem occiderunt, aliquot etiam a nostris occisis, vulneratis vero hostibus in curribus Nicolspurgum perductis. Nostri quoque suburbia Straubingae capiunt et 300 Bavaros captivant, ex urbe vero igneis globis in nostros vehementer pugnatur, verum, nostris aggeribus paratis, speratur loci deditio propediem.

Die 17. Aprilis Joannes Fodor, Ungarus nobilis e comitatu Eisenburgensi, miles voluntarius tunc temporis e Regimine Vettensi, religione Calvinista, cum prius in servitio Caroli Lotharingici in Hungaria fuisset, ab eo dimissus honorifice ad servitium Episcopi Herbiopolensis, qua Hussarus transiit, a quo iterum discedens, ob ortum contra nostram Reginam bellum, Duci Electori Bavariae in Regimine Piosase (?) qua miles desultorius operam navavit, atque inde rursus data redemptione et praetensa, quamquam falso inhabilitate corporis ad bellandum, ad Reginam nostram transiit, et quidem ad Regimen de Vettes. Hic Mellicium cum equo bonisque mediis instructus adveniens, ab Augustino Walpram ad me perductus, quamquam intentionem seriam non habuerit, et a me per 4 dies suaviter inductus, et privatim instructus in fide catholica, eandem tandem, cum diutius expectare noluerit, publice professus est in ecclesia nostra in manu mea. Deo gratias. E novis Viennensibus, nostri Reichenhall Bavariae celebrem salifodinam per deditonem occupant, postquam urbs

per 22 horas fortiter restitisset, habens 130 milites. Reperta praeter alia 20.000 salis ligamina.

10. Aprilis Generalis Töring Bavaricarum copiarum quartum caeditur a nostris, cum Kelhamium tentat recuperare, usus erga nostrum praesidium ferocibus et superbis verbis. Nostri in Kelham adiuvantur a duce Bernklau, qui et in pede vulneratus fuit ab hoste, captis permultis hostibus scilicet 300; in expeditione Kellhamiana ipsi hostes fatentur se amisisse 110, partim caesos, partim captos. Landsperga se dedere nostris recusat, etiam in nostros legatos ad eos missos contra morem bellicum ejaculantes, in quam parantur ignes et alia arma bellica, ni se dederit. Monacensibus severe prohibetur a nostro Generali Kevenhiller, ne calumnientur in publicis hospitibus in nostram Reginam, aliosque Principes, idque sub poenis severis, simulque negat salaria in cerevisia, pane et ligno danda Officialibus, vulgo Hofbedienten, Monacensibus, si non effecerint, ut Novellistae Francofurtenses ea, quae ab ipsis ad illum contra nostros milites et Generales scripta falso fuere, retractent. Urbs Launingensis in nostros Hussaros ejaculans illisque resistens gravi summa peccuniaria mulctatur, alias incendenda et expilanda a nostris militibus, ni ipse Menzlius prohibuisset, et primores civitatis oculis lacrimantibus veniam ejus delicti rogassent. Hussari nostri ob adventum hostis fugiunt.

In Moravia nostri unam legionem Saxoniam fere totam fundunt, occisi 340, et partim captivant, cassam militarem cum 4 tormentis aliisque praedis occupant. Saxones Moravia excedunt. E novis Viennensibus: Rex Sardiniae, qui cum nostra Regina foedus iniit contra Hispanos die 21. Martii, cum suis copiis Placentiam venit, quem noster Comes de Traun, Mediolanensis Ducatus Gubernator, et Austriaci exercitus Dux supremus, ibidem invisit. Fama quoque est statum de Mondovi et vallem Lucernensem eidem regi 20.000 militum in ejus servitia obtulisse. Noster exercitus, postquam milites Regis Sardiniae Parmam Placentiam Paviam aliaque loca per modum praesidii occupassent, in Ducatum Mutinensem concessit, contra Hispanos acturus. E novis Viennensibus: Galli e Lincio dimissi fideliter in Alsatiam abierunt, pro quibus alii Galli Electori Bavariae veniunt in auxilium Donawerdam usque, quibus nostri appropinquant.

16. Aprilis. Elisabetha Imperatrix vidua, cum filia sua Maria Anna Graecio Viennam rediit, cui primum Dux Lotharingiae Gener ejus usque in Schotwien, dein ipsa Regina nostra usque in Wiener Berg obviam eunt, et Viennam deducunt, tormentis ter in moeniis explosis. Galli et Prussi catervatim ad nos deficiunt, simul una 37 Prussi tales desertores Viennam venere, reliqui vero in Hungariam.

(Continuatur.)
